

Lapis enim Philosophicus creatus invenitur a natura, & per
Deum altissimum, nihil plus indiget, nisi ut removeatur
quod est superfluum in eo. Nec minus Maroni, quod sit super-
fluum demere, innotuit, sicuti videre est libr. 6. Æneid. Ita
canit:

*Accipe qua peragenda prior latet arbore opaca
Aureus & folijs & lento vimine ramus, &c.*

*Sed non ante datur telluris operta subire
Auricomos nisi quis decerpserit arbore fœtus, &c.*

Non minus & Ærarium Philosophorum manuscriptum,
hæc cæteris apertius exprimit, cap. 2. libr. 1. hisce verbis: Ne-
mo se intromittat huic operi, nisi clavē habeat Philosophiæ et
intelligat, quid sit apud Philosophos, SUPERFLVA DEMERE.
Tam si hæc ignoraverit, corpus in spiritum vertere non pote-
rit, nec formam inducere nobiliorem. Nec minus huic propo-
sito convenit venerabilis viri & Philosophi Bernardi Tre-
visani sententia, ita loquitur: *Quanquam metalla nihil aliud
sunt quam argentum visum congelatum graduum decoctio-
nibus, non tamen ipsa sunt lapis noster, dum in forma sunt
metallica: nam impossibile est unam & eandem materiam
habere duas formas. Quæ ratione dicere posses ipsa esse lapi-
dem (qui formam dignam & mediam habet inter metallum
& mercurium) nisi primo corrumpatur & auferatur eius-
modi forma? Item Alchindes 2. libr. cap. 1. cui titulum fecit
speculum lucis, ita loquitur: Scitote viri sapientes, à Philo-
sophis nihil prorsus celatum esse, præter initium & secretum
artis, quod est difficilimarum rerum, & nihil aliud signifi-
cat, quam corpus destruere, & in spiritum vertere. Unde Ar-
oldus Villanovanus suo libello, cui titulum fecit Flos flo-
rum, optimè dixit: *Et quidem ex solidis corporibus credunt
medicinam elicere, & preparant ea calcinando, solvendo &
congelando, & projiciunt super corpus, & decepti sunt. Et er-
ror illorum est; Quia sperma illorum non acceperunt sed cor-
pus prout est in sua natura.* Quibus venerabilis vir Bernardus
Trevisanus respondet hisce verbis: *Relinque metalla sola, li-
cet ex ipsis introitus est.* Optimè certè & hic conveniunt
Joan. Aurelii Augurelli Ariminensis versus 1. libr. Chrysopo-
eie suæ descripti, apertè Spiritus istius deligationem desi-
nantes:*

*Denique sic etiam fulvo detentus in auro
Ipse manum cupit Artificis qui vincula solvat,
Et qui se propria reddat virtute potentem.*

M m m s

Item

Virgilius.

Ærarium.

Bernhardus.

metallica
specifica
Ariminensis.